DE

FLUORE ALBO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXI. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

JOSEPHUS WERNE

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

G. ARENS, MED. ET CHIR. DR.
FR. JANSEN, MED. ET CHIR. DR.
J. BRENTJES, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

CELSISSIMO, GENEROSISSIMO,

LIBERALISSIMO

A WESTERHOLT - GISENBERG

COMITI IMPERIALI ET BURGGRAVIO

FAUTORI SUO MAXIMA REVERENTIA PROSEQUENDO

NEC NON

AVUNCULO

OPTIMO, DILECTISSIMO

ANTONIO WERNE

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

CONSECRAT

AUCTOR.

De fluore albo.

AUCTORUM PRINCIPUM HAC DE MATERIA CONSULENDORUM INDEX.

Hippocrates de natura muliebri; libr. II. tit. V. et IX.
Aetius, tetrabibl. IV, sermo IV, cap. LXV — LXXII.
Aretaeus de signis et causis morbor. diuturn. lib. I. cap. X.
Moschion de morb. mulier. libr. II, cap. XXIV.
Roderic a Castro de univers. muliebr. morb. medicin.
Carolus Musitanus de morb. mulier.
Astruc des maladies des femmes. libr. II.
J. Allen, dissert. de fluoris albi charactere ac notis quibus cum gonorrhoea convenit vel differt et utriusque curatione. Lugd. Batav. 1751.
Jos. Raulin: traitè des fleurs blanches. Paris 1766.
Max. Stoll: praelection in morb. chronic. tom. II.
Ejusdem ratio medendi p. VII.
Peter Frank: epitome libr. V. de medorrhoea.
Wz. Trnka de Krzowitz: historia leucorrhoeae omnis aevi observat. med. cont. Vindobon. 1781.
A. Glo. Richter, specielle Therapie.
Jörg: Krankheiten des menschlichen Weibes.
E. v. Siebold: Handbuch zur Erkenntniss u. Heilung der Frauenzimmerkrankheiten.
Mende: die Krankheiten der Weiber.
Carus: Lehrbuch der Gynaecologie.
Burns: principl. of midwif.

K. Mansfield Clarke: observations on those diseases of females, which are attended by discharges. Lond. 1814. Aus dem Engl. von Ph. Heinecken.

J. H. de Hes en W. Egeling: waarnemingen over het gebruik der faba pichurin in het fluor albus. Leyden 1815.

Capuron: des maladies des femmes.

Lepère: traitè des fleurs blanches, de leurs causes, de leurs suites et de leur traitement. Paris 1823.

Dubouchet de Romans: traitè sur le catarrhe utérin, ou les fleurs blanches, de leurs causes, de leurs effets, de leur traitement curatif et de moyens hygiéniques propres à les prévenir. Paris 1825.

Haase: Ueber Erkenntniss und Kur der chronischen Krankheiten.

G. M. Spörer: Catarrhus genitalium. Vindob. 1819.

Inter multos atque varios mulierum morbos fluorem album et ob magnam frequentiam, et ob sequelas perniciosas, omni tempore medicorum animos ad pervestigandam ejus indolem variasque causas excitasse, satis certo constat. Nostro praesertim aevo adeo increbuit hic morbus, ut tertiam certe, ne dicam dimidiam, mulierum partem adoriatur; praecipue vero urbanis mulieribus supervenit, utpote quae lautius vivant vitamque agant sedentariam; rusticis plerumque parcit: maxime igitur vitae ratione moribusque eum exoriri, extra omnem dubitationem positum esse videtur.

Fluorem album, si definitionem edere velis, pro secretione excretioneque muci tunicae mucosae partium genitalium morbosae adaucta habendum esse, facile apparet. Varia variis ab auctoribus nomina accepit, magna sane ex parte ad indolem ipsius causasque respondentia. Sic fluor albus seu uterinus plerisque, aliis gonorrhoea sexus sequioris, aliis elytritis, aliis leucorrhoea vel medorrhoea, dicitur. Galeno uteri rheuma, Ballonio catarrhus, aliis coryza uteri nomen placuit. Graecis ῥους γυναικαιος, Germanis der weisse Fluss, Gallis fleurs blanches, Anglis the white flixe appellatur.

Magis autem, quam de nomine, medici de morbi sede inter se in universum dissentiunt, quippe quam alii in vagina sola, alii in vagina et utero, alii denique modo in vagina, modo in utero, ponant. Attamen fonte accuratius indagato, universum ambitum membranae mucosae partes genitales et externas et internas obducentis, modo ex toto, modo passim tantum hoc morbo corripi posse intelligimus, ita ut nunc labia majora et nymphae, nunc vagina, nunc uterus, imo etiam tubae Fallopii (P. Frank leucorrhoea tubaria) majorem, quam debent, secernant colluviem mucosam. In gravioribus hujus morbi gradibus uterum maxime esse correptum vimque vitalem ejus alienatam, aut mulierum illarum propensio ad abortum, aut sterilitas satis comprobant.

De morbo dividendo maxima viget diversitas. Richter distinxit fluorem album vaginae et uteri, quia sedem modo in vagina, modo in utero posuit. Berends contra discrimina constituit inter leucorrhoeam asthenicam, catarrhalem et rheumaticam, syphiliticam, compositam et complicatam et inter symptomaticam, quo discrimine instituto, leucorrhoeae divisio ab internis et externis causis petitur. Nonnulli fluorem album dividunt in acutum et chronicum; per illum intelligunt blennorrhoeam contagio syphilitico inductam, per hunc humoris alicujus mucosi effluxum e causis blennorrhoeas plerumque excitantibus. P. Frank has fluoris albi differentias exhibet:

1) quod pertinet ad sedem, medorrhoeam internam et externam nuncupat,

2) quod ad causas, a) medorrhoeam primariam ex causis mechanicis ortam, inflammatoriam, atonicam aut passivam et syphiliticam. b) medorrhoeam symptomati-

cam, quorsum metastaticam, criticam et eam, quae vermium, aut calculorum vesicalium irritamento etc. provocatur refert.

3) quod ad formam, medorrhoea modo simplex, modo complicata, modo acuta, modo chronica seu habitualis, apparet.

Trnka de Krzowitz fluorem album generatim redigit in duo genera, quorum alterum leucorrhoeam veram alterum leucorrhoeam notham vocat; illius species sunt: uterina et vaginalis, recens et inveterata, continua et intermittens, simplex et complicata; hujus autem: benigna et maligna, et quidem maligna, si cum syphilide, scorbuto, carcinomate similibusque sit conjuncta.

SYMPTOMATOLOGIA.

Plurima quidem exquisiti fluoris albi symptomata observantur, pauca tamen, eaque evidentiora, pathognomonicis, quae dicuntur, accenseri possunt. Unumquodque sedulo pervestigandum, observandumque a medicis est, quo certius de singulis generibus judicium ferre inque variam indolem exactius inquirere liceat. Symptomata leucorrhoeae pedetentim increscunt et magnum ut plurimum adipiscuntur gradum, quum sexus sequior aut ex mali ignorantia, aut ex falso pudore, morbum omnino negligat aut occultare studeat. Attamen praemonendum videtur, non omnia omni in fluore albo, quae allaturus sum, symptomata locum habere nostramque morbi imaginem non a singulis, sed a plurimis exemplis, veluti in unum comprehensis, deducendam esse. Ab exordio haud absonum videtur, inter fluorem album sthenicum et asthenicum distinguere, quo facto singula utriusque spe-

ciei symptomata et facilius in conspectum veniunt, et commodius percipiuntur.

1) Igitur fluorem album sthenicum ex irritamento aliquo foris illato ortum sensus caloris per aliquot dies antecedit, quem comitatur pruritus quidam haud ingratus atque molesta coeundi cupiditas; simul facies vaginae anterior cum clitoride labiis et nymphis ruborem praebent majorem, paulatim cum dolore aliquo intumescunt. Dolores lancinantes ac trahentes leviores oriuntur, immissio digiti dolores excitat, jamque aegrotae, dum sedent, pruritum maxime ingratum persentiscunt et urinam aliqua cum difficultate reddunt, post mictum redeunte mingendi stimulo. Ad haec tendentes inguinum ac lumborum dolores accedunt, nonnunquam cum febri symptomatica conjuncti, qua causa pulsus frequens et durus redditur. Quandoque nausea, vomituritio, imo vomitus ipse aegrotantibus superveniunt, cum tumore ventris dolorifico. Urina guttatim, saepius cum dolore spastico totius systematis sexualis et uropoëtici emissa, nec non tenesmus quidam inter alvi excretiones satis indicant, his rerum sub conditionibus vesicam, urethram intestinum rectum, vaginam cum toto perinaeo esse affecta. Persaepe etiam glandulae inguinales per consensum intumescunt. Symptomata omnia, ut in quaque inflammatione, novis perpetuo accedentibus, celeriter increscunt, quamquam tam insignem gradum, quam in virorum gonorrhoea, obtinere haud quaquam consueverunt; instantibus catameniis mirifice augentur, maximam autem adipiscuntur intensitatem refrigerio, aut aestuatione superveniente. Decrescente deinde inflammatione pituita lenta, mox aquosa, haud raro cruenta, flavida

vel viridis, eaque acerrima, assidue profluit, quae partes vicinas corrodit, odoremque subinde specificum, proprium foetentem exhibet ac lintea tingit. Summa interdum urinae mittendae difficultas cum ardore maximo oritur. Ceterum aegrae in universum bene se habent, si ab eo discedas, quod, si inflammatio major est, capitis dolorem conqueruntur, unde oculi splendent, genae rubore vegeto notantur, cutis sicca, sitis magna et inquies oriuntur.

2) Contra fluor albus asthenicus initio neque pruritum, neque calorem, nec ullos dolores movet, sed pituita lenta ex vagina uteroque et labiis, sensim et gradatim augescens, sine molestiae alicujus sensu profluit, quae indusium initio morbi vix et ne vix quidem tingit, maculasque pallidas efficit. Stadium initii autem rarissime a medico observatur. Materia est magis minusve spissa, amyli cocti instar diluti, subalba. Ipsum profluvium modo intenditur, modo remittit, longius breviusque tempus ante catameniorum introitum, vel, quod crebrius est, nonnullis diebus post finitam menstruationem apparet, nisi vel puellis juvencis, vel vetulis tempore decrepiditatis, causis peculiaribus provocetur, aut a puerperio pendeat. Fluor igitur initio periodice accedit et discedit. Haud raro etiam morbus, per brevius vel longius temporis spatium ex toto interceptus, nonnunquam inopinato revertitur. Leucorrhoea in juvenibus aut vetulis apparens sine intervallis ut plurimum continet. Mane pituita largior profluit, nocte plerumque retinetur. Progrediente morbo, fluxus copiosior apparet, idem efficiunt refrigerium, aestuatio, corporis excitatio nimia, alvus coacta, cibus incongruus, spirituosorum abusus etc. Hoc

tempore jam symptomata systematis reproductivi turbati et irritabilitatis labefactae conspiciuntur.

Excretum, quod in foeminis succi plenis et robustioribus album est, et lactis fere speciem praebet, varium observatur copia, colore atque consistentia, pro individuae constitutionis indole.

In corporibus macilentis, exsuccis, male se habentibus pituita aquosa est, maculisque flavidis lintea inquinat, saponi acerrimo resistentibus; modo etiam fluxus viridiusculus, purulentus est, modo lividus, modo nigrescens. Nonnulli medici (Raulin) victum in fluoris colorem magnam vim exserere dicunt. Saepe nullum odorem, saepius autem gravissimum spargit et consistentia ejus ad gelatinae naturam accedit. Largius humoris profluvium redditur corpore torpido, leucophlegmatico, longiore morbi mora, debilitante vitae ratione et calidiore regimine. Anni et diei tempus etiam magni est momenti quod ad effluvii quantitatem; interdum haec exigua est, in quibusdam autem casibus per nychthemerum aliquot excernentur librae. Quo magis autem vestigia consumtionis perspicua prodeunt, excreta omnino tenuia, ichorosa evadunt; ubi complicatio cum morbis organicis partium genitalium locum habet, caseosa, putrida, foetida inveniuntur; imo etiam, ut plerumque in carcinomate, acria et corrosiva, ita ut labia majora et minora femorisque latera interna inflamment, excorient maximosque afferant dolores. Nec minus indoles profluvii in deterius vertitur, si mucus per longum temporis spatium retinetur ac mundities debita negligitur.

Vagina tumoris expers est, relaxatio autem partium genitalium magna insignisque; portio uteri vaginalis tu-

mida, mollis, laxa, orificium uteri rotundum apertumque deprehenditur; os etiam demissum propter omnium partium laxitatem, propensum igitur ad prolapsum, vel jam prolapsus uteri vaginaeque adsunt. Dolores ex toto desunt, nisi forte pudenda totumve corpus incitabiliora sint, sic ut levius quodvis irritamentum dolores diutius persistentes facile inducere valeat. Ut jam diximus, non solum vitia systematis reproductivi, sed etiam signa nutritionis labefactae superveniunt. Ciborum appetitus labitur, digestio turbatur, lingua muco albo aut sordido obtegitur. Serius ocius dolores lumborum, coxarum, dorsi, abdominis artuumque accedunt, cum leviori ventris tumore. Diutius persistente morbo, debilitas, lassitudo universa artuumque gravitas, malus corporis habitus, morositas, angor, in lucem prodeunt; ciborum coctio turbatur, alvus irregularis est, ut plurimum segnis; pulsus subsidunt, debiles et tardi evadunt, extremitates frigescunt, labia et facies in dies magis pallent, colorem luridum, chlorosin ostendunt; oculi languent et coeruleis lividisque circumdantur annulis. Aegrotae acidum eructant vomuntque, crebris exercentur flatibus; hypochondriorum atque regionis hypogastricae tensiones, nec non spasmi abdominales accedunt; quae signa conjuncta sunt cum dyspepsia, anorexia, anxietate et palpitatione cordis, cum dyspnoea, praecipue post motus. Inter haec menstrua admodum irregularia observantur, aut omnino desunt, aut parciora, aut copiosiora in uteri haemorrhagiam abeunt; tempore autem, quo profluere debent, pituitae profluvium augescit unaque uterus et vagina inimicis perstringuntur doloribus, aegrae vel haud concipiunt, vel abortiunt; denique in febrem lentam ca-

dunt. Urina ut plurimum sine difficultate redditur flocculosque vel sedimentum demittit, propterea quod pituitae aliquid ex vicinis partibus abluit. Longiore morbi decursu magna demum adducitur corporis universi macies, febris lenta, modo lentae pituitosae, modo characterem lentae nervosae magis prae se ferens, cum pulsu parvo, duriusculo frequente, inaequali; accedit pectoris oppressio et dolor cum tussi modo spastica et sicca, modo humida, sudoribus colliquativis, extremitatum oedemate, hydrope anasarca, profluviis sanguinis ex utero paralyticis, qua malorum mole aegrotarum vita haud raro in discrimen vocatur.

DECURSUS ET EXITUS.

Fluoris albi decursus et exitus pro genere morbi, indole, vehementia, sequelis, corporis natura ac temperie multifariam discrepant. Quod moram attinet, leucorrhoea ad pertinacissimos ac diuturnissimos morbos referri potest. Fluor albus, qui in vagina tantum vel vicinis partibus residet, nec totum corpus afficit, et per se facile sanari potest, cum naturae vires sufficiant, et arte sine difficultate tollitur, id quod praecipue contingit, si mulier bonae ac robustae constitutionis, valida et bene nutrita, scrophulosis atque aliarum dyscrasiarum cachexiarumque expers, vel juvenis vel a decrepiditate longius abest; si causa occasionalis fuit mechanica, vel facilis sublatu, et si per hebdomades, vel menses tantum persistit leucorrhoea. Si autem neglectum malum est, vel inveteravit, si mulieres aetate provectiores, debilitatas, laxa constitutione, ad blennorrhoeas opportuna, praeditas adgreditur, si causae occasionales cernuntur in

atonia universa, si graviores adsunt complicationes, ut scirrhus, carcinoma etc. vel si ars parum valet propter domicilium, negotia, victum, regimen et alia ad curationem pertinentia, symptomata magis magisque increscunt, ita quidem, ut summam ad vehementiam facile evehantur.

Praeter leucorrhoeae exitum in sanitatem, vel per sequelas et complicationes in mortem, peculiaris fere exitus non existit: vices autem saepe suscipit morborum organicorum vel secretionum habitualium, quo facto leucorrhoea subito suppressa, affectiones illorum organorum vehementes in lucem proferuntur.

Fluor albus venereus vel sanescit, vel ulcera, bubones, exostoses, condylomata, ut paucis dicam, luis universalis symptomata excitat, quam, si nobiliores partes occupaverit, haud raro morte terminari, cognitum est. In hystericis id vitium nonnunquam, etsi penitus sanatum, melancholia excipitur, timore contagii eo usque retenti, quod nullo modo ex corpore inquinato exterminari possit, excitata. Fluor albus endemicus persaepe sponte sanescit, loco gravi, humido cum salubri mutato et vitae quoque ratione ad morbi naturam respondente. Idem de arthritico valet, qui, ut per metastasin aliquam provocatur, ita rursus ad aliam partem transponitur. Neque periculosus est fluor albus catarrhalis, qui plerumque cedit sanitati, dummodo aëris constitutio et temperies mutentur. Ubi autem exitus in valetudinem haud obtinetur, morbi genitalium organici et mala multifaria systematis reproductivi emergunt exitumque afferunt lethalem. Quo pertinent morbi topici et organici uteri ovariorumque, inflammationes, abscessus uteri et

vaginae, venarum labialium dilatatio, nymphomania hysteria, paralyses, tabes dorsalis, phthisis, hydrops, polypi, scirrhus, carcinoma, steatomata aliaque plura. Morbis his organicis et topicis leucorrhoeam certe saepius originem debere, quam leucorrhoeae hos morbos, satis compertum habemus.

AETIOLOGIA.

Omnes causae, quae morbos excitant, effectus suos exserere nequeunt, nisi corpora ad id opportuna sint, ita ut fluorem album certa quaedam opportunitas praecedat, necesse sit, quae causis excitantibus viam quasi aperiat et corpora ad hunc morbum aptiora reddat. Haec causae praedisponentis nomine plerisque a medicis notari solet, excitantes vero causas occasionales vocare consuerunt.

Praedispositionem autem efficiunt: corpus laxum, obesum, malus corporis habitus, praecipue leucophlegmaticus, sive constitutio laxa pituitosa, morbus praesertim scrophulosus, qui corpora ad varia muci profluvia reddit aptiora, unde et fluor albus in teneris infantibus observatus est. (Raulin) Nonnulli medici seminia hereditaria hujus morbi vindicant. Praeterea fere omnes cachexiae diuturnae, clima, mores, consuetudines, cultura nimis sollicita, educandi ratio perversa, domicilium humidum etc. praedisponentes fluoris albi causas sistunt. Foeminae tenerae, cute molli et tenui, crinibus flavis, oculis coeruleis insignes saepissime leucorrhoea laborant, ita ut Batavorum, Anglorum, Polonorum et Brasiliensium mulieres crebrius Germanis; maritae frequentius virginibus, nobiliores crebrius pauperibus, adul-

tae saepius puellis, in universum foeminae, quarum functiones sexuales vigent, crebrius infantibus aut aetate provectioribus corripiantur. Raro etiam leucorrhoea in vetulis sexaginta et septuaginta annorum observata est. (Siebold). Coelibatus quoque vitae ratione abnormi quandam ad leucorrhoeam opportunitatem impertire videtur; id quod conjugii expertes haud raro testantur.

Inter causas occasionales vero illae maxime eminent, quae uterum et vaginam relaxant. Quibus praecipue adnumerandae sunt: frequentes graviditates et partus, praesertim in mulieribus, quae infantes mammis non nutriunt, abortus, metrorrhagiae, utpote quibus partes genitales valde relaxari, satis constat. Porro venus nimia, unde fluor albus puellas prostitutas saepius adoritur. Intermisssa quoque venus, maxime in viduis vegetioribus, idem efficere potest. Dein nimia veneris cupiditas, librorum obscoenorum lectione et imaginibus voluptuosis excitata, unde genitalia intumescunt et vaginae pruritus oritur, quem citius tardius subsequi solet muci male olentis profluvium. Item manstupratio, quam ex animi insolita morositate, tristitia, sensibilitate aucta, memoria hebescente, cita corporis animique fatigatione, pallore ingrato, oculorum splendore exstincto etc. facile cognoscere licet. Dein vita deses, relaxans, libidinosa, nimia fotuum calidiorum, insessuum, semicupiorum et balneorum universalium administratio. Neque effectu destituuntur ollae istae carbonariae, quarum fotus assiduus pudenda relaxat et infirma reddit, perinde ut calidiora ventris imi integumenta. Complures porro vigiliae, animi pathemata deprimentia, praesertim moeror et amor infortunatus; frequentes indigestiones, abusus

theae et coffeae, imprudens et crebrior laxantium, drasticorum et emmenagogorum assumtio; ranarum quoque, limacum et piscium frequentiore usu leucorrhoeam, praecipue in junioribus, evocari posse, nonnulli medici contendunt. (Berends).

Praeter dictas causas aliae, vaginam uterumque qualicunque modo irritando, fluorem album inducere valent. Huc fere pertinent injuriae topicae, irritamenta tam mechanica quam consensualia, praecipue miasmata atque contagia, quae proprios in partes genitales effectus exserere consuerunt. In his maxime eminet virus istud syphiliticum, quod vaginae admotum fluorem album acutioris decursus excitat, quem venereum, malignum, contagiosum nominant; facile is in chronicum sive secundarium muci profluvium abit. Dein fluor albus persaepe ex metastasibus aut ex dyscrasia scrophulosa, arthritica, scorbutica, rhachitica, rheumatica, venoso-phlegmatica, herpetica prodire potest. Fluor albus scrophulosus, plerumque ex metastasi scrophulosa oriundus, facillime ex habitu aegrotantium scrophuloso ceterisque illius morbi symptomatibus, quae per se ob oculos cadunt, cognosci potest. Frequentissime autem fluor albus rheumaticus quibusdam in regionibus et sub certa aëris constitutione observatur; hoc malum saepe plures invadit, facile tamen curatur. Refrigerium, praecipue pedum, hujus mali fons uberior est. Fluor albus nonnunquam febres nervosas et intermittentes, variolas, rubeolas, scarlatinam dentitionem difficilem etc. sequitur. Catamenia aut suppressa, aut ob aetatem provectiorem desinentia, haud raro leucorrhoeam inferre, plurimi medici judicant. (Trnka de Krzowitz, Haase.)

Praeterea enumeranda sunt: vermes, praesertim oxyurus vermicularis, qui, ex intestino recto in vaginam proreptans, pruritum molestissimum unaque cum muci profluvio ulcera quaedam superficialia excitare solet; nec non variarum secretionum suppressiones ulcerumque, praecipue habitalium et sudoris alicujus consueti, catarrhi et haemorrhoidum etc. malum per metastasin ad genitalia transferunt. Sordes gastricae haud raro leucorrhoeam inducere valent, cujus origo tunc ex evidentissimis symptomatibus, ut nausea, vomituritione, praecordiorum tensione et aliis, facile cognoscitur. Medicamenta deinde acria, in vaginam injecta, tunicam mucosam ad majorem secretionem incitant et saepius repetito usu fluxum continentem certo provocant. Injuriae topicae irritatione continua non minus procreant fluorem album; huc referuntur pessaria, spongiae marinae partium genitalium squalor et munditiei debitae neglectio, praesertim post menstruationem; saepissime autem uteri vaginaeque inflammatio ac polypi fluorem album comitem adsciscunt. Thoraces lintei foeminarum sanguinem ex superioribus ad inferiores partes congerunt, id quod sane genitalium commutare debet actiones.

Hunc morbum etiam frequentissime malum hystericum atque chlorosin concomitari, aut obstructiones viscerum abdominalium sequi, vix memorandum est. Postremo perpetuum tam scirrhi uteri, quam carcinomatis symptoma est; hoc in casu tamen sanies ichorosa una cum muco ac sero acri profluit, gravissimosque et foetidos spargit odores.

DIAGNOSIS.

In multis genitalium muliebrium morbis etiam profluvium humoris alicujus locum habet; qui morbi utplurimum leucorrhoeae conjuncti sunt, interdum tamen soli inveniuntur. Quos inter morbos principes mihi videntur; polypi, scirrhus et carcinoma atque abscessus uteri. Multis in casibus tamen nec indoles profluvii, nec alia signa diagnosin satis in aprico collocant.

Blennorrhoea, uteri polypo inducta, praesertim exploratione dignoscitur; aegra sensationem graviditatis incipientis, tanquam uterus detrahatur et deprimatur cum oneris sensu percipit; pressio levior in pelvi, dolores lumborum, nec non regionis sacrae, pruritus mammarum incertus, catamenia irregularia aut suppressa, interdum autem major debito effluxus sanguinis etc.

Scirrhus ac carcinoma uteri semper fere profluvium humoris alicujus excitant; effluvium magnam offert differentiam; ichorosum enim, saniosum, corrosivum, sanguineum, purulentum, decolor invenitur, odores foetidissimos spargens. Huc accedunt dolores specifici locales, pungentes, perforantes aut lancinantes, per totam pelvim diffusi; virium prostratio celerrima et cutis, praecipue in facie, color peculiaris, flavogriseus apparet. Inprimis autem exploratione manuali aut ope speculi vaginae hoc malum cognosci solet; portio uteri vaginalis et os tincae tumefactum, induratum, inaequale, ulcerosum, fungis obsitum invenitur. Nonnunquam eodem tempore in mammis aliisve partibus noduli scirrhosi observantur.

Abscessus uteri symptomata haud facile confunduntur cum leucorrhoea; effluxus est purulentus, magis minusve sanguineus cum telae cellulosae emortuae partibus

conjunctus; dolor localis et alia inflammationis symptomata praecedunt; transitus in suppurationem ex horripilationibus cum sequente aestu ac febri comitante cognoscitur; denique decursus celerior plurimis in casibus de hoc malo nos certiores reddit. A profluente humore mucoso vesicae eo differt leucorrhoea, quod effluxus continuus est. (P. Frank) Effluxus calculorum vesicae irritatione provocatus hujus morbi symptomatibus ac catheteris applicatione facile in luce ponitur. Profluvium quod animadvertimus in uteri putrescentia, certo a nemine hoc cum malo confunditur.

PROGNOSIS.

E superiore capite patet, fluorem album per se quidem morbum esse leviorem, certis tamen sub conditionibus periculum aegrotis minitari et per sequelas nonnunquam vitam in discrimen vocare. Quamquam autem generatim non periculosa, nonnunquam tamen pertinacissima ac diuturnissima est leucorrhoea, quae remedia omnia eludit et medici patientiam fatigat. Prognosis ab aegrotantis constitutione ac aetate, a mora morbi et a causis efficientibus et comitantibus pendet. Curatio difficilior est, praedispositione ad blennorrhoeas vigente, aegris aetate provectis, exsuccis, cachexia aut dyscrasia aliqua praeditis, porro quo plus pituitae profluit et quo magis ab indole muci recedit. Quod ad singulas leucorrhoeae species spectat, hae fere adnotandae sunt: Leucorrhoea recens, ex causis insontibus orta, facile sanatur, ut fluor albus catarrhalis mutatae aëris constitutioni vitaeque rationi celeriter cedit. Idem valet de fluore albo ex sordibus pudendorum et immunditie orto,

qui adhibita saepius lotione facile fugatur. Fluor albus gravidarum utplurimum post partum, et in neonymphis sua sponte, si, irritatione inconsueta excitatus est, evanescit. Viduarum fluorem et virginum ex abstinentia ortum ipsa venus plerumque sanat. Bonam exhibet prognosin fluor albus ex intestinorum sordibus, nec non ex pessariis aliisque corporibus alienis, quae majorem secretionem produxerunt. Leucorrhoea ex contagio syphilitico nata, nisi ulcera aut tunicae laesae adsint, facile ad sanitatem reducitur. Ineunte pubertatis periodo, graviditate, vel lactatione, fluor interdum sponte desinit, quoniam systematis sexualis vita et energia majorem obtinent gradum.

Difficilior curatu est fluor, quem menstruorum vitia comitantur; quippe qui aut ex interiore quadam corporis mutatione morbosa, aut ex vitio organico oriri soleat. Fluor albus scrophulosus interdum facile, utplurimum autem maxima cum difficultate tollitur, prout morbus scrophulosus vel levior, vel gravior fuerit; leucorrhoea ex corporis debilitate et constitutione pituitosa, leucophlegmatica valde refractaria est; ea ex manstupratione et frequente libidine difficillime sanatur, quia causa vix auferri potest. Fluor albus haemorrhoidalis, quamquam pertinax, attamen, ubi morbo primario succurrere licet, tollitur; quod malum, si ortum est metastasi aliqua, post impetigines ulcera, sudores consuetos etc., suppressos, neque inveteratum est aut habituale, partes affectae sponte sanari solent, dummodo pristinum morbum restituere licuerit. Ubi vermes malum induxerunt, praedictio bona est. Morbi uteri vaginaeque organici ut ulcerationes, polypi, scirrhus et carcinoma etc. prognosin valde

turbant. Polypi si instrumentis amoveri possunt, sanatio persaepe contingit; cancro uteri autem leucorrhoea provocata insanabilis est. Denique malum hystericum, si in causis fuerit, malam exhibet prognosin. Blennorrhoeam, cui aegrotae corpus per longum temporis spatium assuevit suspensa modo manu supprimere ac removere licet, ne malum praepropere sublatum ad aliam eamque nobiliorem partem summo cum aegrotantium detrimento transponatur. Sequelae enim funestissimae sequuntur, ut: convulsiones et spasmi, hysteria, metrorrhagiae, chlorosis, phthisis, hydrops, tabes etc.

CURATIO.

In fluore albo sanando morbosas vaginae uterique actiones ad naturae normam reducendas, membranarum mucosarum vim naturalem restituendam esse, satis cuique apparet. Quam vim naturalem vel diminutam esse vel auctam, indeque leucorrhoeam modo cum charactere asthenico, modo sthenico enasci, jam antea dictum est. Protinus mihi adnotandum videtur, morbum nostrum rarius sthenicam, utplurimum vero asthenicam prae se ferre indolem. Varia astheniae indoles in curatione non est negligenda, quippe quae modo cum incitabilitate adaucta (erethismo) modo imminuta (torpore) appareat.

In curando fluore albo sthenico in universum hae offeruntur indicationes.

1. Irritamenta morbosa, quaecunque in membranam mucosam agant, quoad fieri potest, amoveantur.

2. Inflammationi provocatae occurratur.

Ad priorem indicationem pertinet, ut corpora quae-

vis aliena vaginam stimulantia et irritantia celerrime eximantur, ut pessaria, spongiae marinae etc. posthac autem ea remedia adhibeantur, quae secundae indicationi respondent. Irritamenta quaedam peculiaria, ut contagium syphiliticum, plerumque removeri nequeunt.

Secundae incitationi respondent remedia antiphlogistica, in quorum numero primum obtinet locum venae sectio, si inflammatio majorem gradum adipiscitur, dein hirudinum applicatio, scarificatio etc.; interne dentur salia refrigerantia, ut nitrum, tartarus depuratus, natrum et kali sulphuric., kali tartaric. rel. Praeter haec adhibenda sunt: emulsiones ex amygdalis, seminibus cannabis, sorbitiones ex hordeo decorticato, vel alica avenacea, pulpa tamarindorum, clysmata emollientia et lenientia, cataplasmata e seminibus lini, mica panis albi, floribus chamomillae, affusa aqua Saturnina, aut, si inflammatio est, dolorifica, adjecta herba hyoscyami, Conii, tinct. opii etc. etc. Ubi fluor albus syphiliticus est, in universum eadem medendi ratio, quam exposui, sin contagii resorpti suspicio subest, hydrargyri praeparata in usum vocanda sunt. Praeterea in leucorrhoeae sthenicae curatione semicupia et insessus ex aqua tepida crebrioresque lotiones ac mundities majoris momenti sunt; cutis transpiratio leviter augeatur. Aegra caveat ab intemperantia in potu ciboque; abstineat ex toto a theae, coffeae, vini aliorumque spirituosorum usu; victus magis sit vegetabilis, quam animalis, interdicantur tamen pulticulae e farina et leguminibus, brassica, tubera solani etc., qui cibi ventrem inflant. Praecipue autem partes genitales nec calefiendae nec refrigerandae sunt. Si autem malum istiusmodi medicamenta eludens usque

persistit, recurrendum est ad ea, quae in ipsam vaginam injiciantur. Inflammatione autem majore restitante, utique ab his remediis abstinendum est, nam irritando partes affectas inflammationem omnino debent augere.

Praesertim in hujus morbi curatione id videndum est, ne fluor albus sthenicus in asthenicum transeat, id quod quam plurimum observatur.

In curando fluore albo asthenico his fere indicationibus satisfaciendum videtur:

1. Ut amoveantur causae, quaecunque ad morbum sustentandum faciant;

2. Ut vires cum totius corporis, tum partium laborantium reficiantur recreenturque.

Leucorrhoea si existit sola, reliquis organismi functionibus non turbatis, si fluoris albi indoles eadem est, quae omnium blennorrhoearum, atonicam innuo, medicamina ea sunt adhibenda, quae et energiam organorum abdominalium et partium affectarum restituere valent; qualia sunt: aromatica tonica, amara, adstringentia. Interno usui respondent: china, folia aurantiorum, calamus, cascarilla, lichen islandicus, columbo; extract. taraxaci, simarubae, quassiae, chinae; dein varia ferri praeparata et aquae martiatae naturales et arte factae. Porro medicamina balsamica cum extractis amaris ferroque, ut gummi Kino, myrrhae, galbani, parvae aloes doses ac rhei; terra catechu: nonnulli praecipue balsamum copaivae et peruvianum commendavere. (Richter). Parvae extracti rhei doses ad corrigendam assimilationem et concoctionem debilitatam a multis laudatae sunt. Sin vero medicamina tonica et amara propter majorem ventriculi et ceterorum digestionis orga-

norum incitabilitatem et sensibilitatem non sustineantur, aut cum antispasmodicis, ut valeriana, opio etc. conjungenda sunt, aut cum acidis mineralibus mixtione temperatis, ut TR. aromatico-acida, mixtura sulphurico-acida etc.

Remedia topica maxima cum providentia adhibenda sunt, ne profluvium, si inveteraverit, praepropere suppressum metastases funestissimas provocet, id quod praecipue injectionibus fieri constat. In iis etiam casibus, ubi status quidam subinflammatorius superest, haec medicamenta adstringentia et irritantia maxime vitanda sunt; ubi contra harum partium debilitas tantum fluorem album sustinet, injectiones e variis remediis paratae in usum vocandae sunt. Primum inter haec obtinet locum aqua frigida (P. Frank), aut sola aut cum vino rubro, aut spiritu vini rectific.; decocta remediorum adstringentium roborantiumque ut corticis salicis, quercus, hippocastani, gallarum turcicarum; solutio boracis, aluminis, myrrhae; et si relaxatio ingens est, solutiones e cupro-zinco-ferro sulphuric. Incitabilitate autem adaucta, injectiones e lacte, aqua calcar., solutione plumbi acet. adhibeantur. Neque negligenda sunt balnea et universalia et localia, aut ex aqua frigidiuscula sola, aut cum remediis indicationi respondentibus parata. Maximam autem utilitatem exhibent balnea martialia naturalia, v. c. Pyrmontanum, Dryburgense, Egeranum, Spaanum etc. aut arte facta e ferro, sulphur., globulis mart. etc. Inter remedia externa lotiones atque unctiones regionis hypogastricae pubisque e spirituosis, aethereo-oleosis, vel oleis aethereis spiritu solutis, etc. haud infimum tenent locum. In casibus pertinacioribus quotidie aliquot

embrocationes frigidiusculae, vel conspersiones regionis lumbaris curationi respondent. Denique prodest, partes affectas olibano, mastiche, benzoe aliisque suffumigari.

Secundum singulares causas haec mihi praecipue afferenda videntur. Leucorrhoea ex nimia veneris cupidine, librorum obscoenorum lectione, aut saltatione modum excedente oborta, his interdictis, facile sanatur; si e vita sedentaria, luxuriosa, continuo ollarum carbonariarum usu, fotu partium genitalium calidiori, theae abusu, immunditie etc. originem duxit, praecipue frigida, una cum remediis partes labefactas instaurantibus, adhibentur. Fluor albus e manstupratione et excessu in venere medicamenta, quae roborent et adstringant, exigit; si mali causa autem ab aegrotante ipsa non omittitur, medicamenta, etsi validissima, sanationem non producunt. Fluori albo ex statu gastrico, aut viscerum abdominalium obstructione, resolventibus, emetico aut cathartico, occurrere licet. Leucorrhoea ex helminthiasi efficacissime impugnatur remediis anthelminthicis. Quodsi malum mensium turbatione aut suppressione ortum est, pro varia ejus natura modo temperantia, modo attrahentia, sive pellentia, modo solventia aut antispasmodica, in usum vocanda sunt, ita ut catamenia mulierum non decrepitarum suppressa restituantur. Neonympharum et neonatorum fluor nihil exigit, praeter summam munditiem. Fluor albus ex suppressis haemorrhoidibus curationem primarii morbi jubet institui, qua functio vicaria redintegretur. Fluor albus catarrhalis, nonnunquam epidemicus, facile tollitur; fluori arthritico et rheumatico medicaminibus characteri illorum morborum respondentibus medeamur. Fluor albus scrophulosus, quem

difficiliorem sanatu esse, commemoravimus, remediis antiscrophulosis curetur. Pertinent huc: mercurialia, antimonialia et horum connubia varia, spongia marina, baryta, chlorum calcariae, extract. cicutae, taraxaci etc. in gravioribus casibus cuprum sulphuric. ammoniat.; pro potu glandes quercus tostae; neque effectu destituuntur balnea ex aqua Teplicensi, Carolina, marina etc. Leucorrhoea ex impetigine, scabie, sudore aliquo aut ulceribus suppressis orta, remediis debelletur mala haec iterum prolicientibus. Scabiem suppressam denuo provocari per infectionem novam nonnulli suadent. Quae remedia interna et externa, si parum profecerint, postremo recurrendum erit ad ulcera artificialia, setacea, fonticulos aliaque remedia, quae malum aliquo modo e corpore educant deriventque. Vigente scorbutica cachexia, antiseptica utilitatem praestare solent. Si in leucorrhoea symptomata nervorum receptivitatis adauctae apparent, supra dicta tonica cum antispasmodicis pro varia mali indole porrigantur; si vero aegra magis torpida, temperamento praedita est phlegmatico, cum tonicis remediis incitantia, aromatica et aetherea imperentur. Quodsi nymphomania exstat praeter remedia psychica, quae maximi sunt momenti, ea adhibeantur, quae contra nervorum statum erethisticum laudantur. Fluor albus vaginae uterive polypo excitatus opem chirurgicam, deinde remedia adstringentia expostulat; fluor autem, qui uteri cancrum comitatur, leniri quidem aliquatenus, sanari tamen haudquaquam potest.

Sub finem haud incongruum mihi videtur adnotare, fluorem album criticum, vel alium quemcunque inveteratum ex rationibus supra prolatis cautissime esse tol-

lendum et supprimendum. Sin aliqua causa, ut refrigerio, aestuatione, balneis aut pediluviis nec non lotionibus frigidis, pathematibus, aut auxilio nimis repentino ac temerario fluor est suppressus, medicus id agat, ut effluxus quam primum instauretur. Hic vapores calidi, injectiones in vaginam, cataplasmata tepida, frictiones abdominis et unctiones, pediluvia, insessus, vesicatoria aut sinapismata ad interna femorum latera etc. prosunt. Si restitui nequit, aliae secretiones movendae sunt, ut diarrhoea, sudores, ptyalismus etc. etenim natura ipsa nonnunquam hanc curandi viam demonstrat.

Nullo fere in alio morbo remediorum diaeteticorum efficacia major est, quae quidem sola, absque omnibus saepe medicaminibus, efficiunt, ut morbus tollatur atque evanescat. Rejiciendi sunt thoraces lintei et ollae carbonariae; vitanda est vita sedentaria, necessaria autem exercitatio corporis et ambulatio quotidiana sub dio et aëre puro; imo saltatio modica non noxia interdum observatur; aegrotae, si progredi in publicum per tempestatem inimicam non licet, domi obambulent. Equitationes a multis valde laudatae sunt. (P. Frank). Onaniae perniciosissimae cognoscendae atque debellandae maxime impendatur cura; a librorum obscoenorum lectione et ab omnibus, quae phantasiam nimium excitare et sensibilitatem augere possunt, mulieres plane abstinere debent; largiori quoque somno non fruantur et raro veneri indulgeant. Sin autem animus moerore, curis et tristitia est afflictus et depressus, leniendae sunt curae et animus exhilarandus. Si amor infortunatus in causis fuerit, matrimonium cum juvene dilecto suadendum est. Cibi porrigantur eupepti, attamen nutrientes et roboran-

tes, ut juscula incitantia ex vino et mucilagine sago, adjecto aliquo aromate; item caro bubula, vitulina, aves etc. in fluore enim asthenico cibus animalis magis prodest, quam vegetabilis. Potus egelidi, cum intestina relaxent, praesertim infusum theae et decoctum coffeae levius, vetandi sunt, nisi adjiciatur vel spiritus sacchari, vel oryzae, aqua cinnamom., vinum burgundicum, similia. Optime etiam convenit: infusum menthae piperitae, serpylli, glandes quercus tostae, vinum modice sumptum, aut aqua aut extracto pomorum aurantiorum impraegnatum, cerevisia bene fermentata etc. Denique cavendum est a vestimentis abdomen constringentibus et strictioribus; tempori sint consentanea. Domicilium angustum, humidum statim mutetur sicco, commodum perflatum habente, ne aërem aegra spiret vaporibus malis aliisve inquinatum. Praeterea saluberrima est mundities et partium genitalium et totius corporis, nec non vestimentorum, straguli et cubiculi. Minime negligendum est balneis subinde uti; secundum fluoris albi indolem et causam adhibeantur thermae sulphureae, balnea martialia, marina etc. Denique peregrinari, si fieri potest, saluberrimum est.

V I T A.

Ego **Josephus Werne**, confessioni catholicae addictus, natus sum anno hujus saeculi undecimo Recklinghusii, oppido Guestphaliae, patre **Carolo Werne**, matre **Bernhardina**, e gente **Callenbergiana**, quos parentes morte jam dudum defunctos valde lugeo. Primis literarum rudimentis imbutus gymnasium Recklinghusanum per quinque annos, gymnasium Tremoniense per annum et dimidium frequentavi. Maturitatis testimonio munitus anno MDCCCXXX tempore paschali ad literarum universitatem Bonnensem me contuli ibique a rectore magnifico Ill. **Gieseler** et a decano maxime spectabili Ill. **Harless** medicinae studiosis adscriptus his scholis usus sum: Ill. **van Calker** me docuit logicen et psychologiam; Ill. **de Muenchow** physicen; Ill. **Bischoff** chemiam; Ill. **Noeggerath** mineralogiam; Ill. **Goldfuſs** zoologiam; Ill. **Treviranus** botanicen; Ill. **Mayer** osteologiam et anatomiam; Ill. **Mayer** et **Weber** mihi duces fuere in secandis cadaveribus; Ill. **Müller** in physiologia, encyclopaedia medica, pathologia generali et semiotice; Ill. **Harless** in materia medica, Ill. **Nasse** in anthropologia. Tempore paschali a. MDCCCXXXII. Halam Saxonum petii et a prorectore Ill. **Heffter** civibus hujus universitatis adscriptus praelectionibus Ill. **Krukenberg** de pathologia et therapia speciali interfui; etiam audivi Beat. **Sprengel** de historia medicinae; Ill. **Friedlaender** de arte formulas medicas concinnandi; Ill. **Meckel** de anatomia comparata; Ill. **Blasius** de chirurgia generali, de ossibus fractis et luxatis nec non de arte fascias chirurgicas applicandi, de akiurgia speciali et de morbis et operationibus ophthalmiatricis; Ill. **Baumgarten — Crusius** de morbis syphiliticis; Ill. **Niemeyer** de arte obstetricia. Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis et ophthalmiatricis virorum Ill. **Krukenberg** et **Blasius** interfui. Inde a. MDCCCXXXIII mense Novembri

Lipsiam profectus sum, ubi a prorectore Ill. **Brandes** in numerum civium academicorum receptus, scholis clinicis medicis, chirurgicis et obstetriciis virorum Ill. **Clarus**, **Kuhl** et **Joerg** usus sum. Post sex menses Berolinum adii ibique a rectore magnifico **Strauss** et decano maxime spectabili Ill. **Busch** civibus academicis adscriptus, ducibus Ill. **Rust** et Cel. **Dieffenbach** clinicum chirurgicum; Ill. **Bartels** et Cel. **Wolff** clinicum medicum; Cel. **Trüstedt** policlinicum medicum et chirurgicum; Ill. **Jüngken** clinicum ophthalmiatricum frequentavi; ibidem Ill. **Busch** artis obstetriciae praxin me docuit. Quos omnes praeceptores clarissimos pio gratoque animo semper venerabor. Tentaminibus vero tam philosophico quam medico et examine rigoroso rite superatis, spero, fore ut dissertatione et thesibus defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Operationi talipedum aetas aegroti aut mali gradus minime obstat.
2. Arthritis et haemorrhoides eandem habent originem.
3. Amputatio, si qua opus est, statim post illatam injuriam aptissime instituitur.
4. Fractura claviculae, si absque deformitate sanatur, hoc non fasciarum virtute sed fracturae loco efficitur.
5. Magnum viget discrimen inter virginis et mulieris habitum externum, quod jam artifices antiquissimi in Venere Anadyomene et Venere Genetrice formanda acutissime distinxere.